



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Pia D. Cypriani admonitio. iij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

lix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

Caro concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur: ut non quacunque vultis illa faciatis. Gal. 5.

Confortamini in Domino, & in potētia virtutis eius. Ephes. 6.
Induite vos armaturam Dei: ut possitis stare aduersus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitie in caelestibus.

Petrus Apostolus. Charissimi obsecro vos tāquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, qua militant aduersus animam. 1. Pet. 2.

Pia D. Cypriani Episcopi & Martyris Admonitio.

Meminisse debemus voluntatem nos non nostram, CAPVT
sed Dei facere debere: secundum quod nos Deus III.
quotidie iussit orare. Quam præposterum est, quamq̃
peruersum, ut cum Dei voluntatem fieri postulemus, Matth. 6.
quando euocat nos & accersit de hoc mundo Deus, non
statim voluntatis eius imperio pareamus. Obnitimur &
reluctamur, & pernicacium more seruorum ad conspe-
ctum Domini cum tristitia & mærore perducimur, ex-
euntes istinc necessitatis vinculo, nō obsequio voluntatis:
& volumus ab eo premiis caelestibus honorari, ad quem
venimus inuiti? Quid ergo rogamus & petimus, ut ad-
ueniat regnum calorum, si captiuitas terrena delectat?
Quid precibus frequenter iteratis rogamus & petimus,
ut acceleret dies Regni, si maiora desideria & vota potio-
ra sunt, seruire istic diabolo, quàm regnare cum Chri-
sto? Potius mente integra, fide firma, virtute robusta,
parati ad omnem voluntatem Dei simus: pauore mortis
excluso, immortalitatem, qua sequitur, cogitemus. Hoc

nos ostendamus esse quod credimus: ut neque charorum lugeamus excessum, & cum accersitionis propria dies venerit, incunctanter & libenter ad Dominum ipso vocante, veniamus. Quod cum semper fuerit faciendum Dei seruis, nunc fieri multo magis debet, corrue[n]te iam mundo, & malorum infestantium turbinibus obsesso. Considerandum est, & identidem cogitandum, renuncia[n]do nos mundo: & tanquam hospites & peregrinos hic interim degere. Quis non peregre constitutus properet in patriam regredi? Quis non ad suos nauigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter charos liceret amplecti? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum: frequens & copiosa nos turba desiderat, iam de sua incolumitate secunda, & adhuc de nostra sollicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune letitia est? qualis illic caelestium regnorum voluptas, sine timore moriendi, & cum aeternitate viuendi? quam summa & perpetua felicitas?

De Rerum temporalium seu terrenarum Amore.

CAUSA
II.
CAPVT
I III.

Eccl. 41.

Alterum, quod mortem amarum facit & ingraturam, AMOR EST RERVM TEMPORALIVM, seu TERRENARVM. Nam morte ingruente, in mentem veniunt pulcherrima mundi vernantis species, agri feraces, magnifica ades, horti amoeni, montes vitibus constiti, vestes pretiosa, vasa tum aurea, tum argentea, gemmae, lusus & conuiuia. Vnde in Ecclesiastico dicitur: O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis: viro quieto, & cuius via directa sunt in omnibus.

Sed Deus condidit nos prae ditis mente, qua bestiae praestemus: ut quibus caelestis est origo, in ima haec non respi-